



P R Æ F A M E N.



*X*perientia quàm conso-  
num sit illud Medicina Fundato-  
ris de Fragilitate & Miseria Mife-  
ricosmi Α Φῶρισμα: Ο λⓄ Α ν-  
δρωπⓄ ἐκ γενετῆς νεσὸς ἐστὶ: Id  
nobis probatum reddunt, singula  
vita nostra etates, quarum una-  
queque peculiaribus in infirmam  
& caducam corporis nostri Ma-  
chinam, tanquam mortem ipsi minantibus deservit mor-  
bis. Vix enim ac infans Uteri claustra perfregit ingens  
morborum farrago eum, quasi unda procellosa navim è  
portu solventem subito obruunt: Interdum verò prater-  
lapsis incarcerationis diebus, ergastulo valedicturus ipsi  
ob viarum angustiam in ipso subsistendum est limine,  
Et quamvis primos dies & etiam Annos incolumis eva-  
sisse ipsi obigit: Non tamen propterea à morbis immunis  
existit, sed varia invasionum genera ipsi adhuc sunt ex-  
pectanda, superanda. Et ò quàm ingens est numerus  
eorum, qui provectiorem quidem aetatem, imò senectū-  
tem vident, quorum verò vite curriculum nihil, nisi  
continuus est morbus; & si ipsorum dies numerandi,  
multò plures eorum morbofi, quàm verò sani certè fue-  
re. Verùm, quemadmodum Planta, non exorta solùm,  
variis injuriis sunt subjecta, ita ut sapiùs vel nullà co-  
gnitâ manifestâ causâ flaccescant, marcescant, vel planè  
emoriuntur; sed interdum ipsorum rudimentis intra se-

men vel radicem in terra defosis existentibus & hiare incipientibus aliquid accidere potest, quod vel illas monstrosas planè reddat, vel ipsarum natura sit inconueniens & illas deformet. Ita inter alias Embryonis vel fetus in utero lesiones non adeò infrequentes sunt Monstrosa ejus conformatio, & Nævorum quos vocant Maternos contractio. De quibus hisce quantum pro divitiâ, quam sollicita prece ambio concessâ gratiâ, & ingenii modulo licuit, inaugurale nostrum Specimen contexere tentavimus, non quasi de iis absolutum & integrum Opus adornaturi, quippe pro labore quo suscipiundo nostra Animi dotes impares forent, institutiq; ratio vetaret. Paucos igitur de hocce nostro Themate tantum modò paragraphos Æquæ B. L. censura submittimus, quos si insulsos ipse percipiet, suæ sapientiæ sale ut sapidos reddere velit enixè & submissè rogamus.



Q. B. V. T. O. D.

*Dissertationis de Infantum Nævis*

*Maternis.*

S. I.

COMMUNISSIMO & simplicissimo pluribus à scriptoribus in divulgandis thesibus observari solito nos committentes & insistences Tramiti, *αισθησιολογίαν* primò explanare oportet. Et quanquam pro symptomate hoc indigitando non magna vocabulorum occurrat diversitas; attamen unum vel alterum diversæ originis apud Lexicographos invenire licet. Græco idiomate primò vocatur *σπίλον*, *σπίλωμα*, quod, idem ac macula, Labes, à verbo *σπίλω*, maculo, labem infero, quæ quidem vox pluribus tribui solet rebus, ut cùm in N. Test. uno & altero loco metaphoricè usurpetur pro probro & ignominia, sed quæ

strictè